

# TABVLA RECITATIONVM

IN  
ACADEMIA LVDOVICIANA  
PER SEMESTRE AESTIVVM  
A DIE XXIII. APRIL.

CIOIDCCCLXXXVIII.  
INCHOANDARVM.

RECTOR  
ACADEMIAE LVDOVICIANAE  
IO. CHRISTOPH. FRIDERICVS  
SCHVLZ

C V M S E N A T V.

**D**nodecimum exemplum triumphi aliquamdiu iuste denegari; tandem tamen iniuste concessi, quod nunc quidem reliquis adiungimus, *Liuo* debemus, qui altercationes eam ob causam Romae obortas libro XXXI cap. 48 & 49 copiose satis enarrauit. A. V. C. DL. P. *Sulpitio Galba*, & C. *Aurelio Corra* Coss. quum, definitis prouinciis consularibus, praetores prouincias fortirentur, L. *Furio Purpureoni* praetori, teste *Liuo* XXXI, 6, *Gallia* & quinque millia Latinorum ad eam tuendam obtigerant, consulibus in *Macedonia* & *Italia* res gerentibus. Repente autem in *Gallia* (vid. *Liuus* XXXI, 10) tumultus ingens exarsit, variaeque gentes Gallicae, *Amilcare* Poeno duce, qui in iis locis de *Asdrubalis* exercitu substiterat, *Placentia* direpta ad *Cremonam* oppugnandam perrexerunt. Quam rem quum L. *Furius* ad senatum referret, senatus consuli *Aurelio* permisit, L. *Furio* scribere, vt, quum ad eum legiones consulares ad *Herruriam* venissent, missis in vicem earum quinque millibus istis sociorum, qui interim *Herruriae* praesidio essent, ipse ad *Cremonam* obsidione liberandam proficisceretur. L. *Furius* postquam tantas copias adesse vidit, quantis opus erat, ad hostes, qui iam *Cremonae* immincebant, repellendos, signa cum iis contulit, atque (vid. *Liuus* XXXI, 21.) tam insignem deportauit victoriam, vt super quinque & triginta millia inimicorum caederentur & caperentur, ipseque *Amilcar* & tres imperatores Gallorum trucidarentur. Cuius rei nuntio Romam allato supplicatio in triduum decreta est. Quamuis autem tali modo per praetorem prope debellatum fuisset, consul tamen C. *Aurelius* praetori gloriam tantam inuidens, perfectis, quae Romae ab ipso agenda fuerant, profectus in *Galliam*, praetorem viruperauit, quod absente se summam rerum in discrimen adduxerit, victorem exercitum sibi ab eo tradi iussit, atque, *Furio* in *Herruriam* ablegato, ipse in agrum hostium legiones induxit, omniaque populando cum praeda maiore, quam gloria bellum gessit. Interim L. *Furius* ex *Herruria*, vbi materia rerum gerendarum prorsus decrat, relictis ibi copiis, quibus praefectus erat, solus, nemine iubente, aut permittente, *Romam* transiit, triumpho inhians, quem absente consule, de cuius ira & inuidia iam certissime persuasus erat, facilius obtineri posse autumauit. Quum senatus ipsi pro more recepto in aede *Bellonae* extra urbem daretur, res a se in *Gallia* perpetratas exposuit, atque, vt sibi triumphanti in urbem inuehi liceret, petiit. Maiores natu e senatoribus iuuenilem *Furii* imperum, quo triumphum ipsi haud debitum, bello Gallico nondum finito, sibi arrogabat, summo opere improbarunt, atque triumphi decus ipsi grauissimas ob causas denegarunt, primo, quod pugna illa prospera confecta sit ipso quidem duce, ast non suo exercitu, qui in *Herruriam*

abierat, sed legionibus, quas consul ipsi ad vim hostium coercendam aliquamdiu commiserat, secundo, quoniam, anno nondum exacto, iniussu senatus provinciam reliquisset, sola triumphum arripiendi auiditate adactus. Viri consulares, qui in senatu aderant, addiderunt, praetorem propter ipsum illud certamen, quamvis factum, maxima vituperatione dignum esse, quoniam scilicet dimicationem non usque ad aduentum consulis, qui legionibus imperitabat, distulerit, potuisse praetorem, castris prope *Cremonam* ad eam tutandam positis, rem cunctando extrahere, ita, ut non prius, quam consul adfuisset, acie decerneretur; praetoris ardorem temerarium senatus sapientia corrigendum; omnemque hanc de triumpho controuersiam usque ad reditum consulis reiciendam esse; consulem patres expectarent, ubi coram disceptantes consulem & praetorem audissent, verius iustiusque de hac causa existimaturos esse. At magna pars senatus, amici praetoris, ipseque *L. Furius* res ab eo praeclare gestas, summum, quod ante pugnam illam Romanis in Gallia coloniis instabat, periculum, occasionem hostes opprimendi, quam omittere nefas fuerit, approbationem ipsius senatus, qui supplicationes diis habere propter illam victoriam iusserat, opponebant. Ante omnia, *Furium*, tanquam praetorem, tanquam magistratum maiorem suis ipsius auspiciis pugnam illam iniisse ostendebant; si sine consule conari aliquid praetori non licuerit; aut senatum peccasse dicebant, qui exercitum consularem praetori tradiderit, (potuisse enim, si non eum praetoris, sed consulis exercitu rem geri libuerit, ita concipi senatusconsultum, ne per praetorem, sed per consulem gereretur) aut consulem reprehendendum, qui non, quum exercitum suum ex *Heruvia* transire in *Galliam* iussisset, ipse curauerit, ut bello isti interesset, quod sine eo geri nefas putauerit. Praetoris, cui maior pars senatus fauebat, praesentia absentis consulis maiestas superata est; triumphumque patres frequentes *L. Furio* decreuerunt. Quanquam autem ingentem praedae copiam praetor in aerarium deferret, praecipuum tamen pompae eius atque legitimum ornamentum defuit, quum exercitus victor, sine quo more maiorum triumphus agi non poterat, urbem non ingrederetur, ideoque neque captiui ulli ante curram praetoris duci, nec vlla spolia praeferri poterant, quippe quae omnia in potestate consulis manserant. Fallaciter impetratum esse triumphum, & omnia, praeter ipsius victoriae meritum, penes consulem esse apparebat. *C. Aurelius* consul quam versus finem anni Romam recessisset, non id, quod plerique opinabantur, conquestus est, se scilicet a senatu non expectatum, neque disceptandi cum praetore ipsi potestatem factam, sed id aegre tulit, ita decreuisse triumphum patres, ut nullius nisi eius, qui triumphaturus esset, haud eorum, qui bello interfuissent, verba audirent. Maiores ita instituisse addidit, ut milites triumpho adessent, & veritas rerum gestarum publice videretur. — Iam ad Vos, *Commilitones aestimatifsimi*, oratio nostra se conuertit, quorum gratia nempe locupletissimus exhibetur praelectionum novarum index. En adsunt scientiarum omnium praeceptores, quorum doctrinam, docendique solertiam dudum perspexistis, offeruntur ab iis denuo lectiones omnium generum vtilissimae! Eligite iam ex iis illas, quae rationibus vnuscuiusque Vestrum conducere videntur, scholas electas assidue frequentate, atque praeceptis optimis imbuti parate Vos ad res probe gerendas, ad quas patria olim quemuis Vestrum aduocabit!

## LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IOH. GEORG. BECHTOLD. Hora VIII. Ven. HENKE elementa institutionum fidei Christianae historico-criticarum perpetuis suis, partem in vtramque prolatis, dissertationibus illustrabit. Hora III. PAVLLI epistolae minores, inchoando ab ea ad *Galatas*, interpretabitur; hora eadem die Mercurii quaestionem: an & quatenus, quae a quibusdam adeo studiose commendatur, systematis nostri theologici ad philosophiae Kantianae placita transformatio necessaria, & religioni Christianae utilis, & honorifica futura sit? sobrie, & modeste dilucidabit.

IOH. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. VIII. & II. theologiam moralem ex suo Compendio praecipiet. Hor. X *Matthaeum* interpretabitur. Exercitationes homileticas quolibet die Iouis in aede arcis instituet publice Hor. IX.

CAR. CHRISTIAN. PALMER quinque dieb. h. X. theologiam dogmaticam, h. XI. theologiam moralem tradet. Binis dieb. h. VIII. de studio theologiae recte instituendo, h. IX. de formandis orationibus sacris exponet.

IO. ERNEST. CHRISTIAN. SCHMIDT, Th. P. P. O. h. IX. theologiam dogmaticam secundum *Mori* epitomen tradet; h. XI. historiam ecclesiae christianae antiquiorem e *Walchii* libro narrabit; h. II. epistolae Pauli ad Romanos & Corinthios interpretabitur.

## LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Institutiones ex HEINECCIO, Pandectas ex HELLFELDIO, ius Canonicum e ROEHMERO, ius Criminale e compendio suo horis consuetis tradet. Disputatorium quoque & Examinatorium offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS. Hor. VII - VIII. *Ius Germanicum priuatum* duce SELCHOVIO docebit. Hor. II - III. *historiam imperii R. G. PÜTTERVM* secuturus narrabit. Hor. III - IV. habebit *Collegium elaboratorio - practicum* diebus *Lunae, Mercurii & Veneris*, alternis diebus, *Ius mercatorum & cambiale* ex *libris suis* tradet.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP *ius feudale* duce BOEHMERO, *ius publicum S. R. I.* praeunte PÜTTERO, nec non his de hebdomade *ius priuatum principum*, tradet.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER, *Priuatum* hora IX - X & XI - XII. ad HELLFELDII *iurisprudentiam forensam* secundum ordinem *pandectarum* commentabitur. Hora X - XI. *principia iuris naturae & gentium* praeunte HOEPFNERO docebit. Hora auditoribus commoda, *historiam iuris* duce SELCHOVIO enarrabit.

## LECTIONES MEDICAE.

D. CAROL. GVIL. CHRISTIAN. MVLLER. *publice* excursiones botanico-mineralogicas instituet. *Priuatum* h. VIII - IX. *Historiam naturalem regni vegetabilis*, ad *systema Linnaeanum* docebit. *Priuatissime* *therapiam specialem* continuabit. *Chemiā experimentalem & mineralogiam* horis auditoribus commodis offert.

D. ERNESTVS SCHWABE docebit *privatum* *Medicinam forensam*, duce Fascio; *Pathologiam* secundum Gaubium, & *publice* *Praecepta* ad docendas *obstetrices* futuras in arte *obstetricia*.

D. IOANNES FRIDERICVS SIEGESMVND POSEWITZ, per instans *semestre* temporis spatium, hora X - XI, *praelectiones chirurgicas* habebit secundum *Metzgeri Handbuch der Chirurgie*, atque *artem obstetriciam theoreticam ac practicam*, secundum *Steinii Anleitung zur Geburtshülfe* vel *Roederer's Anfangsgründe der Geburtshülfe* docebit. Offert quoque, si qui optarint, *lectiones & physiologicas & pathologicas* aut alias *medicas*.

## LECTIONES PHILOSOPHICAE.

CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Primar. Hora II - III *Aeneidos* Virgilianae libros I - VI illustrabit; Hora VIII - IX *institutiones stili Latini* duce Schellero tradet; Hora IX - X *Notitiam librorum cuius studio utilissimorum*, praeunte Millero exhibebit; Hora X - XI *artis poeticae praecepta* e libro *Celeb. Eschenburg* enarrabit; ad alia quoque paratissimus — *Bibliothecam publicam* diebus *Mercurii* atque *Saturni* Hora II - III aperiet.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER. *Histor. P. P. O.* hor. VIII. *Historiam uniuersalem*, hor. XI. *Historiam Statuum Europae* ad compendia a se edita docebit.

GVILIELMVS FRIDERICVS HEZEL LL. OO. P. P. O. tradet 1) *Fundamenta linguae Hebraicae*, 2) *Arabicae*, sequuturus sua *praecepta*, *typis exscripta*. 3) *Interpretabitur Genesim* *Mosaicam*.

D. AVG. FRIED. GVIL. CROME, *Oecon. Statist. & Scientiarum Cameral. P. P. O.* — Hora XI - XII. *Oeconomiam ruralem*, ad *Becmanni Compendium*, Hora III - IV. *Politicae*, vt vocant, seu *scientiam ciuitatis instituendae & administrandae*, ad *filum suum*, & Hora IV - V. *Statisticam*, vt dicunt, *omnium Europae regnorum*, praeunte *Sprengelio*, exponet. Nec iis, deerit, qui *scientiae forestali*, seu *oeconomiae politicae &c.* operam nauare velint.

IO. FRIDER. ROOS, Philos. D. & P. P. O. *Historiam* regnorum & rerumpublicarum *Europae* recentiore, *Galletta* praeeunte, h. XI., *Historiam* quam dicunt *uniuersalem*, *Beckio* duce, h. I. enarabit. *Plutarchi Moraliu* partem I., ex recensione *Wytttenbachiana*, interpretabitur; *Anglicae* etiam linguae studiosis operam haud denegaturus.

GEORG. FRID. WERNER, scient. milit. P. P. O. vt primum per morbum, quocum nunc consistatur, grauissimum licebit, *Geometriam practicam* cupientibus praeleget.

FRID. LVDOV. WALTHER, P. P. o. per Semestre aestiuum *Oeconomiam ruralem* hor. IX-X. *Oeconomiam forestalem* hor. XI-XII. ad Compendia sua tradet.

G. G. SCHMIDT, Prof. matheos p. o. *Mathesin puram* Hora matutina VI-VII, *Mathesin adplicatam* Hora XI-XII ex compendio suo demonstrabit. *Physicam*, seu *Philosophiam naturalem* Hora II-III post meridiem experimentis illustrabit.

I. C. G. SCHAVMANN 1) *Logicam ac Metaphysicam* h. IX-X. 2) *Ius naturale* h. X-XI ad compendia sua "*Elemente der Logic &c. &c.*" *Wissenschaftliches Naturrecht*" docebit: 3) *Encyclopaediam Philosophiae* h. III-IV tradet: 4) *Praelectiones philosophico-historicas de cultura generis humani* (über Gang und Methode der Aufklärung) h. IV-V publice habebit, librum suum, *Versuch über Aufklärung &c.* secuturus. 5) *Disputatorium atque examinatorium auditoribus suis* offert.

### LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

D. CAROL. GROLMAN Iur. P. P. E. O. h. VIII *encyclopaediam atque methodologiam iuris*, h. X. *ius criminale ad filum suum* tradet. *Theoriam processus ciuiliis ordinarii* hora Auditoribus commoda enucleabit, neque deerit *Commilitonibus*, *praelectiones priuatas aut priuatissimas super aliis iurisfeientiae partibus desiderantibus*.

FRID. GVIL. DAN. SNELL, Philos. P. P. E. O. Hora X-XI *philosophiae criticae elementa* praeeunte Schmidio tradet. Hor. XI-XII *mathesin applicatam*, Hor. III-IV *analysin finitorum & infinitorum* docebit.

IOH. GEORG. FRIDER. LEVN, Ph. D. & P. P. E. O. Hor. X. *Philosophiam religionis* tradet librum celeb. Schmidii: *philosophische Dogmatik* sequuturus. Hor. III. *Prophetas minores* interpretabitur.

FRANC. THOM. CHASTEL, P. Ling. Gall. P. E. O. Hora VI-VII. *grammaticale*, post meridiem I-II *conuersatorium* & V-VI. *elaboratorium* aperiet collegium; ceteras diei horas priuatissimis lectionibus dedicat.

D. ERN. LVDOV. WILH. NEBEL, th. anat. professor, h. VII-VIII matutina de *structura exteriori equi*, nec non de *ferramento* aget. H. II-III *operationes chirurgicas*, cl. *Hunczowsky* institutionum habita ratione, illustrabit.

---

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luculenta equitandi, pugnandi gladio, saltandique palaestra, Anglicae, Gallicae & Italicae linguae scholis*, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

---